1,
2, Discursus contemporaneus.
3, Considerationes monetales.
4, Kurtze und eigentliche Deduction
5, id. latine
6, Deductio rei monetalis
7, Discursus de re monetaria.
8, Epistola mercatoris.
9, Dowod iawny etc.
10, Unvorgreifliche Gedancken.

6)

DEDUCTIO
REI MONETALIS

In qua

VARIATIO & IMMUTATIO
REI MONETARIÆ,

de

Seculo in Seculum;

&

Quomódo ex Aureo Seculo

in

CUPREUM,

transitum fecerimus,

breviter & oculariter
ostenditur.

ANNO CHRISTI.

M DC LXIV.

QUantum Principum decus, non minus bene constitutarum Rerumpub. emolumentum sit, Proba Justaque Moneta, non solum Clarissimorum Virorum auctoritas, sed etiam quotidiana ubiq; terrarum experientia, rerum omnium magistra, abundè testatur. Cum enim pecunia rerum omnium gerendarum sit nervus, meritò omnes boni Cives, ac amantes Patriæ, præserrim ij, qui à Deo ad clavum Reip. sunt constituti, eò omnibus viribus intenti esse debent, ut Rei Monetariæ exacta fiat deliberatio, ejusdem provida introductio ac constitutio, tandem semel bene constitutæ tenacissima conservatio. Exterorum hâc in materia Regnorum & Rerumpub. exempla, hic in medium producere, cum ob brevitatis studium nostri non sit propositi, hoc saltem, quod præ oculis versatur, ac non minus publicum, quam unius cujusq; privatum concernit incommodum, disquirere, ac ad trutinam æquæ lancis, in hac nova Rei Monetariæ immutatione, ex sincero erga communem Patriam hanc nostram animo, ponderare, incommoda exinde provenientia prævidere, ac publico bono, penicillo quasi ad oculum adumbrare, animus est. Quod quò melius fieri possit, tempora antecedentia in hoc Regno, annexarumq; Terrarum Prussiæ Jura, Consuetudines, usus, & observationes, commoda & incômmoda, circa Rem Monetariam, cum præsentibus ac subsequturis examinare & comparare non inconsultum videtur. Non quidem eo fine, quasi Sacræ Regiæ Majestatis omniumq; Ordinum Regni hujus placita & Constitutiones censere vel improbare videamur, sed ut, ex hac mutua invicem temporum oppositione & collatione, rei veritas eò evidentius appareat, ac huic inevitabili, cervicibus totius Regni imminenti damno, si fieri poterit, quantocyus obviari possit.

Primum ergo quod in considerationem venit est antecedentium temporum Status, ac Regni Poloniæ, præsertim verò Terrarum ac majorum Civitatum Prussiæ Jura, Privilegia, Immunitates ac Consuetudines, ab aliquot sæculis circa rem Monetalem, tam à Crucigeris, quàm postmodum Divis Regni Poloniæ Regibus, subsequenter ipsis collatæ, quarum nonnullas hic adducere ipsa res postulat.

Anno 1425. Magister Ordinis Teutonici in Conventu Generali Terrarum Prussiæ Civitatibus Thoruniensi ac Gedanensi facultatem cudendæ Monetæ contulit, quæ etiam re ipsa in effectum est deducta, quamvis tum temporis adhuc eædem Civitates super hoc Jure nondum fuerint privilegiatæ.

Anno 1454. Tempore Incorporationis Prussiæ Civitatibus Thoruniensi, Gedanensi, Elbingensi & Regiomontanæ à Divo Casimiro Rege Poloniæ Jus Monetale collatum, his Verbis. *Vt Guerra durante cu da-*

cudatur fidelis & justa Moneta, impensis Prælatorum Spiritualium & Sæcularium, Militarium, Civium, Terrigenarum Prussiæ. Pace autem habita tantum in Thorun & Gdansk sine præjudicio Privilegij Thoruniensis Civitatis, Nostris Regalibus cudatur impensis; Proviso tamen, quod Moneta nullatenus in pondere, grano, & liga debita immutetur.

Anno 1457. Civitas Gedanensis per Privilegium à Divo Casimiro plenarium Jus cudendæ monetæ obtinuit, his Verbis. *Porro ex speciali nostra gratia Regia damus ac concedimus prædictis Proconsulibus Consulibus, totiquè Communitati Civitatis Nostræ Gedanensi, ut sine omni turbatione ac præpeditione in Civitate hâc Ius cudendæ Monetæ Aureæ ac Argenteæ cum effigie ac Inscriptione Nostra Regia, habeat, teneat, in pondere grano & liga, uti moderno tempore usitata est, vel Consiliariorum Nostrorum Terrarum ac Civitatum scitu & consensu constituetur, quæ Moneta in hisce Terris in usu & valore haberi debet.*

Hoc quoq; Jure Monetali Civitas Gedanensis realiter, ipsoq; effectu, sub Rege Casimiro, Alexandro, Johanne Alberto &c. prout hujus generis Monetæ adhuc exhiberi possunt, libere semper est usa. Quamvis Monetæ Polonicales sub Regimine Præmemoratorum Regum ab Anno 1454. usq; ad Annum 1528. in hisce Terris Prussiæ in valore & usu non fuerint, cum longè viliores, ratione intrinsecæ bonitatis Pruthenicis pecuniis essent.

Tan-

Tandem Anno 1528. In Conventu Mariæburgensi inter Legatos Regios & Albertum Ducem Prussiæ atque Terras ac Civitates Prussiæ Regalis conventum est, ut posthac æqualis Moneta in Regno Poloniæ, ac Terris Prussiæ, in pondere, grano & liga cudatur, ac viliores nonnullæ monetæ tam domesticæ quàm peregrinæ repudientur, prouti in hâc Transactione omnia & singula, monetalem Rem concernentia, dilucidè sunt specificata. Eademq; pro lege Universali à Rege Sigismundo prælo est mandata, & vigore ejus Conventionis non solum Dux Prussiæ, sed & Civitates Majores Thorunium, Elbinga & Gdansk ad Communes in Regno Poloniæ de Re Monetali consultationes vocari consueverunt.

Hic observandum, quod tum temporis Ducatus Hungaricus 45. grossos valuit, & quod quinque Ducatis una Marca argenti puri emebatur. Et ex tali Marca Cracoviensi argenti purissimi cudebantur tantum octo floreni 13½ gr. in petiis trigrossorū. Anno 1573. Postquam variæ querelæ, ratione abusus & exorbitantiæ Rei Monetalis sunt productæ, Rex Sigismundus Augustus in Comitiis Generalibus Regni constituit, ut Ordinatio Monetalis de Anno 1528. imposterum observetur, nec ab ea recedatur, exceptis tribus circiter grossis, auctis ratione impensarum & sumptuum, pro qualibet Marca puri argenti, cum tum temporis argentum carioris fuerit pretii.

Ve-

Verum ſubſequentibus temporibus magna mutatio in re monetaria ſubſecuta, ita ut Ungaricalis & Thalerus in pretio valde excreverit, & pes monetalis totaliter fuerit immutatus, ac Ungaricalis ad ſex florenos, & Thalerus ad tres florenos excreverit, cum monetariorum artes omnium fere mentes excæcaviſſent, & omnium rerum & commerciorum confuſionem induxiſſent, unde ingentia damna in reditibus publicis & debitis privatis emerſerunt.

Conſideratis itaq; præteritorum temporum Juribus ac obſervationibus Terrarum Pruſſiæ Regalis circa Rem monetariam, patet, quod omnium Monetæ deterio rationũ iſta cauſa ſemper fuerit, quod Reges & Reſpub, ultra impenſas Cuſionis, lucrum ſubinde Regium quærant & augeant. Et propterea Reſpub. Anno 1632. huic damno medelam invenit, in pactis conventis cum Rege, ut tale lucrum ceſſaret, & moneta in eodem ſemper valore ſervari poſſet, uti æquitas, decus, & utilitas Regni poſtulat, quod ipſum per Conſtitutionem Anni 1660. approbatum.

In nuperis Comitiis Regni Generalibus habitis, Conſtitutio facta ex conſenſu utriusq; gentis, tam Polonicæ quàm Lithuanicæ, ad rem monetariam deſtinatorum Commiſſariorum (excluſis Prutenis & Civitatibus, utut de Jure præſentes eſſe debebant) & concluſum eſt, ut decies Centena millia florenorum, in Cupreis ſolidis, pro Regno Poloniæ,

&

& totidem pro magno Ducatu Lithvaniæ fabricentur, ut egeſtati & paupertati, ex nupero bello Suecico miſeris ſubditis perpeſſæ, ſubveniatur. Verum tantum abeſt ut hâc ratione miſerrimis ſubditis ac Incolis Regni ſubveniatur, ut potius exigua, adhuc ipſis ex bello reſtans, Subſtantia, per depravatæ hujus Monetæ Cupreæ introductionem totaliter ad ſangvinem usq; exſugatur, quod ex ſubſequentibus deductionibus evidentisſime apparebit.

Primò extra omnem controverſiam vera & infallibilis eſt Maxima, quod opulentia & divitiæ omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum & Privatorum non in vilioribus metallis, ut pote cupro &c. ſed in præſtantioribus ac perfectis, auro & argento conſtent, monetæq; ex illis cuſæ, non minus optimi Regiminis, quam etiam locupletisſimarum divitiarum certisſimum ſint indicium. Exemplo nobis ſunt Hiſpania, Gallia, Moſcovia.

Imo hoc Regnum ipſum Poloniæ, Prusſiæq;, temporibus Divorum Anteceſſorum Regum Poloniæ, ac Crucigerorum, qui poſteriores quamvis in Prusſia abſolutum habuerint dominium, ut pro libitu & arbitrio ſubditis pravam monetam obtrudere potuiſſent, nihilominus eò erant intenti, ut bona moneta aurea & argentea, aut ad minimum in minoribus ſortibus, ad Thalerum proportionata, in hiſce terris cuderetur. Qua ratione non ſolùm utilitas ſubditorum ac commodum promovebatur, ſed etiã

ipſi

ipsi Domini magnos ex reditibus & contributionibus subditorum, per hanc probam massam monetæ, coacervarunt Thesauros. Divi quoq; Reges antecessores Polonorum hac experientia edocti justas, argenteas, legitimæ bonitatis intrinsecæ, & Justi valoris species fabricari fecerunt. Florenus Polonicus tum temporis bonitate sua modernis tribus vel quatuor æquivalebat. Una Quarta Ravæ, vel aliæ laudatæ simplices Contributiones, tum plus Thesauro Regni inferebant, quam hisce temporibus quatuor, minoribus itidem expensis omnia comparabantur & solvebantur.

Militum, exempli gratia, stipendia, tum erant singulis mensibus 4. floreni, Equitis decem. Nunc verò pediti decem, Equiti autem triginta dantur: Cujus generis exempla innumerabilia adduci possent, ni prolixitas hujus scripti evitaretur.

Consideratis itaq; his, pergamus ad examinationem modernarum in Regno Poloniæ introductarum monetarnm, quibus singulis exactè trutinatis, ac cum veteribus numismatibus comparatis, horrendum illud detrimentum & exitiale damnum totius Regni, annexarumq; Provinciarum, omni fuco denudatum, claris oculis cernere licebit.

Materiam solidorum horum novorum quod attinet, purum putum, sine omni materia argenti, est cuprum, quod non in hoc Regno foditur, sed aliunde vel ex Suecia & Hungaria &c. advehitur, vel ex

vete-

veteribus ahenis & utensilibus æneis conflatur, cujus libra una nunc valet 15 grossos. Ex qualibet autem libra fieri debent particulæ, petiæ seu solidi trecenti, qui exponuntur pro flor. 3 & 10. grossis. Ad conficiendum autem seu fabricandum unum Millionem solidorum cupreorum, tricentenæ mille libræ cupri requiruntur.

Computando libram 15. grossis, facit	fl.	150000
Ratione facturæ pro qualibet 10 grossos	fl.	100000
Thesaurus Regni debet habere	fl.	450000
Remanent adhuc Administratori Officinæ Monetariæ pro lucro	fl.	300000
Facit in toto unum Millionem.	fl.	1000000

In Magno Ducatu Lithuaniæ Monetarius totidem lucri, 300000 flor. habebit, ex altero Millione ibidem cudendo. Ita ut à duobus Millionibus 600000 floreni lucri in ipsum redundabunt; exceptis summis, quæ extra statutum numerum clam extradentur, cum in tanta copia hujus Monetæ tam accurata extraditionis inspectio nullatenus fieri possit. Abhorret certe animus ab immenso hoc lucro, quod non in bonum publicum, sed privatorum & exterorũ marsupium, cum intollerabili totius Regni, imprimis verò bello jam satis enervatorum simplicium ac miserorum subditorum oppressione, convertitur. Valor & bonitas horum solidorum, uti jam ex producto computo, ita non minus ex reductione illorum in massam propriam perspicitur. Si enim aliquando moneta hæc cuprea reducenda, & in pristinum metallum conflanda esset, quilibet ex Centum florenis vix triginta libras cupri, adeoq;

B

qua-

quatuordecim, ad summum 15. florenos saltem valoris habebit & percipiet, atque hac ratione 85. flor. de suo Capitali Centum florenorum, amittet. Quæ læsio sanè intollerabilis est. Verùm & in eo adhuc magis defraudatur Resp: cum nimirum post exactam probã istorum solidorum inventæ sunt particulæ seu solidi in dimidia libra vel in una Marca Cracoviensi 175. imò 180. & hâc ratione libra cupri exponitur pro tribus florenis 26 grossis. In reductione autem ad massam Cupream pro 100 flor. duodecim saltem & 26. grossi reperientur. Damnum ergo exinde emergens ad florenos 87. & 4. grossos excurrit. Et quis dubitat, quod hæc sola cuprea moneta totum Regnum possit ad ultimum interitum & summam paupertatem inducere? Lucrum inauditum & summè excessivum, an non invitabit plurimos vicinos & privatos etiam, ut talem Monetam fabricent & cudant, terra & aqua invehant, nostramq; vicissim monetam argento mixtam, talem qualẽ habemus, evehant, ut brevi nulla argẽtea remaneat? Quid factum sit in Hispania, ubi exteri navib9, cuprea moneta advecta, Regnum adeò impleverunt, ut vix remedio locus esset, notum est.

Pergamus jam ulterius ad aliarum quoq; specierum monetalium, majorum minorumq; argentearum, cupro permixtarum, examinationem, in quib9 calculo accuratè facto tota Respubl. ingens detrimentum, tam in fabricatione, quàm in recusione anterioris melioris monetæ, in has novas species patitur. Cum enim argenti fodinæ Ilkusienses parvã copiam argenti nobis suppeditent, ideò Præfectus Monetalis anteriores sortes Monetales, addendo cupri partẽ, in has novas sortes monetales recudit. Quantum verò inde in totum Regnum damni redundet, ex sequentibus deductionibus abundè demonstrabitur, & primo de Orthonibus.

Orthones Regni anteriores Electorales & Gedanenses præsentes 30. petiæ seu particulæ in pondere faciunt unam Marcam, continentque in se argenti puri 11. Lothones, & sic Marca exponitur pro 26. florenis $5\frac{1}{2}$ grossis.

Novi Orthones Polonici, quarum 32. particulæ seu petiæ ponderant Marcam, habent in se argenti puri 10. Lothones & 4. nummos, & sic Marca argenti exponitur pro triginta florenis. Ergo in quatuor Marcis sivè Centum florenis quilibet detrimentum patitur 15. florenorum & 27 grossorum. Omnes illi Orthones priores Regni Electorales, Gedanenses, detractis omnibus impensis, possunt recudi, & dabunt denuo Monetario in lucrum certissimum 12. florenos pro Centum.

Decies ergo transmutando in dimidio anno Centum millia florenorum, habebit Centum & viginti millia florenorum lucri, quod Regni commodis & privatis omne decedit.

Sexgrossales Species anteriores quarum 54. petiæ ponderant unam marcam, habent argenti puri septem lothones & duos nummos.

Moderni verò qui jam fabricantur habent 6. Lothones & petiæ seu particulæ 58, ponderant Marcam Cracoviensem. In anterioribus Marca exponitur pro 24. florenis 7. grossis 5. nummis. In modernis verò pro 31. florenis: differentia erit in qualibet Marca 6. flor. 23. grossorum. Et sic in singulis Centenis florenis damnum evidentissimum erit 27. florenorū.

Transmutando autem veteres sexgrossos in hos novos, detractis omnibus impensis, administrator Monetalis, pro Centum lucri, 22 flor. & 2 grossos habebit. Si verò decies in dimidio Anno Centum millia florenorum transmutentur, lucrabitur florenos 200667 & 10 grossos.

Trigrossi antiqui Polonici, qui adhuc in usu sunt, continent in se septē Lothones argenti puri in una Marca, ex qua fabricatæ sunt 108 petiæ. Marca argēti puri exponitur in iisdem pro 24 florenis 18. grossis. Hi trigrossi prædicti ad valorem Thaleri 3. florenis comparati viliores suut, $2\frac{1}{2}$ pro centum.

Ex probatione accurata modernorum novorum Trigrossorum Polonicalium reperiuntur in una Marca Cracoviensi 6. tantum Lothones argenti puri, & fabricantur ex eadem 145. petiæ seu particulæ. Qua ratione Marca argenti exponitur pro 38 florenis 20. grossis.

Marca ergò argenti puri in his trigrossalibus novis Polonicis 14. florenis & 20. grossis carius exponitur, quam in Thaleris. Hinc in Centum florenis Monetarius lucri habet florenos $61\frac{1}{3}$.

Carius

Carius quoq; quam in Trigrossalibus antiquis polonicis 14 florenos & 2 grossos facit pro Centum 57 florenos $\frac{5}{30}$ In Orthonibus autem Nostris 12 florenos $14\frac{1}{2}$ grossos. Facit pro centum 47 florenos $\frac{10}{30}$.

Jam sesquigrossi, vulgo Pultoraki dicti, sunt considerandi. Nostri adhuc currentes habent 5 Lothones & 13. nummos puri argenti: Marca exponitur pro 26. florenis 25. grossis & consistit in 195. particulis seu petiis.

Moderni verò habent 185 particulas, & in qualibet Marca argenti puri 4 Lothones & 8 nummos. In his sesquigrossis novis Marca exponitur pro 33. florenis, damnum infallibile erit 25. florenorum & 20 grossorum.

Hinc Præfectus Rei Monetariæ, detractis omnibus impensis & sumptibus pro factura, transmutando prædictos veteres sesquigrossos in hos novos, lucri habebit 16 florenos & 20 grossos in Centum florenis.

Decies verò in dimidio anno transmutando centum millia florenorum lucrabitur 166667 florenos 10 grossos.

Ex hisce omnibus jam allegatis nihil aliud côncludere possumus, quam totalem & jam imminentem interitum Regni, totalem brevi tempore abolitionē nostræ monetæ, experientia ante 40 annos edocti, ut nec vestigium illius temporis monetæ appareat, Thaleri pretio ad quatuor florenos, & ungaricalis ad octo florenos redacto.

Quod

Quod Cuprum attinet,id ipſum non in hoc Regno Noſtro,pro ut in Suecia,ex fodinis eruitur, ſed inde vel aliunde,probo noſtro argento coemitur& advehitur: Advectum alibi extra Regnum magno labore ac impenſis,ratione facturæ (quæ omnes in reductione pereunt) in hāc novam monetam ſolidorum tranſmutatur,cujus jam factum eſt initiū, cum intra ſpatium aliquot ſeptimanarum omnibus ferè navibus,Lubecâ,magna copia ſolidorum, absque imagine formatorum ſit advecta, & adhuc in abundantia ibidem fabricetur; Transſmutatum verò ac poſtmodum in priorem maſſam reductum, vix 14. 15. florenos valoris, pro Centum, poſſeſſori relinquunt.

Centenarius Cupri qui 120 librarum eſt, 60 aut 50 florenis coemitur. Ad confectionem autem duorum millionum ſolidorum (exceptis his,qui extra ſtatutum numerum cudentur & extradentur) requiruntur cupri Centenarij 300000.

Calculo ergo facto,cuprum illud ad ſummam aliquot tonnarum auri excurrit, pro quo bona ac proba moderna moneta ſolvitur, quæ primo huic Regno detrahitur, ac aliò exportatur, Opificum Monetariorum mercedes, aliiq; ſumptus ac impenſæ pereunt, ac bono publico decedunt, ac Exteræ gentes cum vicinis ad abundantem invectionem cupreorum ſolidorum, propter ingens lucrum,tacitè invitabuntur.

Cum enim omnis ferè pecunia recenter cuſa, magna parte priori ſit vilior, utiq; in vicinis regionibus, tam pecuniam cupream,cum lucro tonnarū auri 80 florenos in Centum ſuperante, cudi, ac in hoc Regnum invehi curabunt,quam aliis ſortibus, ex quibus 28 triginta octo florenos in Centum vel etiam plus,uti in ternariis noſtris, lucrari poterunt,totam hanc Terram implebunt.

Prout anterioribus temporibus exempla habemus, ubi in Centum florenis lucrum erat 12 florenorum, magna copia ad eandem ligam & ſpeciem effigiatorum in hoc Regnum eſt invecta. Simili ratione Suecica ac Rigenſis moneta,ante paucos annos,Lithuaniam ſibi vicinam & annexa loca, magno cum Incolarum ac ſubditorum detrimento, adeò inundavit, ut vix credi poſſit. Quod idem & nunc metuendum eſt,&quidem multo magis,quia horrendum hoc lucrum ex nova hac moneta proveniens quemlibet callidum ac ſagacem ad participationem ſtimulabit. Atq; ita ſucceſſu temporis,omnis aurea, argentea vel juſtè mixta moneta evehetur,& recudetur,ac purum putum Cuprum tantum nobis reſtabit. Nova enim Moneta antiquam conſumet, & lucri amor faciet, ut omnis antiqua moneta confletur, & in novam formam tranſmutetur.

Quotquot Thaleri vel Ducati in Regno extiterint,exportabuntur, quia in peregrinis locis nova hæc noſtra moneta non recipietur, aut ſi remanſerint, omninò neceſſe eſt, ut Thalerus ad quatuor vel

vel quinq; florenos, Ducatus ad octo & amplius florenos excrescat, quia cum noviter cusa moneta plus quam quarta parte vilior sit, necessitas postulat, ut valor alterius bonæ Monetæ tanto plus augeatur.

Et quia nova hæc Moneta, non argenti, sed meri Cupri additionem requirit, ideo nihil certius, quam quod omnis antiqua pecunia, vel conflabitur, vel penitus amittetur. Imposibile enim est, ut illud, quod 25 florenos vel etiam 50 florenos in Centum bonitate præstat, à Judæis Monetariis & peregrinis non conquiratur, ac confletur, nec in commodum ipsorum convertatur. Nam ad confectionem mille marcis antiquorum Orthonum tãtum 34 libras cupri, ad confectionem verò novorum segrossorum 79. libras cupri addi opus est, idq; cum summo monetariorum emolumento, insigni vero privatorum incommodo & damno.

Præterea neq; Militi ex hac nova pecunia stipẽdium solvi poterit. Nam qui fieri potest, ut Cuprea Moneta, vel etiam viliori segrossorum sit contentus? Videbit utiq; se pauciores Thaleros aut Ducatos accipere, omniaq; quibus indiget carius esse solvenda.

Neq; per hanc novam monetam, ut quidam putant, Regnum Poloniæ circa solutionem stipendii militaris quindecim tõnas auri lucrabitur. Damnũ universale quadruplo majus erit lucro. Etenim si damnũ hoc cessaret, per solutionem militi factam, & moneta hæc cuprea ad exteros exportaretur, tollerabilis conditio nostra esset, ât tota & integra apud nos manebit cuprea hæc moneta, & si abolebitur, totius substantiæ fiet jactura. In Orthonibus, sexgrossalibus, trigrossalibus, sesquigrossis, si reductio instituatur, denuo tertiam vel dimidiam etiam partem amittemus.

Certum est ac necessario sequitur, quod ubi Sacra Regia Majestas ex reditibus suis, utpotè portoriis, vectigalibus & Oeconomiis hactenus novem tonnas auri, in auro & Thaleris vel etiam Orthonibus percepit, nunc tantum, in effectu intrinsecæ bonitatis, sex tonnas auri percipere queat. Et quæ novem auri tonnas bonæ monetæ protulerunt, non nisi sex conficient. Quarta, ex qua novem tonnæ auri obvenerunt, similiter saltem sex tonnas auri producet. Nobilis qui prædium suum pro sex millibus florenis per modum Arendæ elocavit, post hàc tantum in effectu quatuor millia habebit. Qui sex millia florenorum super bonis Terrestribus numeravit, vix quatuor millia florenorum recipiet. Omnes minorennes & Pupilli, spiritualesq; ex bonis suis, aliis in Arendam datis, tertiam partem amittent, & omnibus expensis plus quam trientem superaddere tenebuntur. Qui Filiũ suum in Exteras Regiones, Italiam, Galliam, Belgium proficisci permiserit, loco duodecim millium florenorum, quibus antè opus habuit, nunc necessariò Octodecim mille florenos expendere tenebitur. Ulna serici aut Attalici, quæ antea sex florenis

venit,

venit, nunc octo vel novem florenos valebit. Similiter omnes reliquæ merces, panni, species aromatum, Haleces, vina &c. tertia parte carius (quando modernis Orthonib', segrossis, Trigrossis sesquigrossis comparabuntur:) constabunt. Quando verò Cupreis solidis solutio fiet, tanto magis precium florenorum excrescet. Exempli gratia, dolium seu vas vini Hispanici aut Ungarici, quod secundum antiquam monetam 400 florenis est emptum, nūc constabit, coæquando hos cupreos solidos cum Thalerorum valore, 2200 florenos. Ulna holos erici, quæ constitit antea, 10 florenos, nunc ad minimum 80 florenis persolvetur. Una tonna halecū 30 florenis hactenus coempta, nunc ad Centum florenos excrescet &c. Cum enim Exteræ gentes haud depravatam monetam, nulla ratione, nisi coæquatione facta ad valorem Thaleri, hoc est æstimatione crudi cupri percipient, igitur omnes merces tanto carius æstimabunt & vendent, ut ad debitam proportionem Thaleri perveniant. Quæ sanê auctio pretij omnium rerum Incolis universis, majoris & minoris conditionis hominibus hujus Regni, mira valde videbitur, ac omnium commerciorum usum confundet & perturbabit. Hoc enim intollerabile dammum totum Regnum, nō per triennium aut quadriennium tanget & affliget, sed in perpetuum durabit, cancriq; instar omnia consumet, nec unquam curari poterit, nisi cum finali totius Regni interitu, aut præsentissimo abolitionis remedio,

dio, & in argentea moneta cudēda totali restitutione & cupreæ cassatione. Ubi enim omnia per monetarios cudendo & recudendo conflata fuerint, ac Regnum in maximam paupertatem & Argenti inopiam devenerit, reductio difficilior erit, & cum summa jactura privatorum introducetur. Ibi omnia denuo ad Officinam monetariam conflanda deportabuntur, ibi pro Centum florenis cupreæ monetæ 14 aut ad summum quindecim floreni obtinebuntur, & loco duorum Millionum, quos ipsi fabricavimus, alteros duos ab exteris invectis inveniemus. Impossibile enim est, Sueciam, unde cuprum evehitur, una nobiscum cupream monetam non cusuram, & licet id ipsum publice non fiet, privati tamen nonnulli, quibus hoc lucrum dulce erit, id ipsum ad praxin deducent.

Meritò itaq; omnes aliæ Gentes ac Nationes Orbis respiciendæ sunt & laudandæ, quæ in re monetaria talem miseriam nunquam senserunt & expertæ sunt. Qui in India Orientali negociantur, atq; inde aromata & alias merces pretiosas exportant, argentum probum pro mercibus solvere tenentur. In Moscovia non nisi probum reperitur Aurum & Argentum. In Hispania, Gallia, Anglia similiter. Imo quando in hoc Regno Tartaris donativa dantur, in auro & argento ea præstari oportet, pecuniam modernam cupream non acceptabunt. O miseri Coloni Regni Poloniæ, qui vix per totum vitæ tempus collegistis Centum florenos argenteæ mone-

monetæ, jam pro Centum florenis ſolatij loco accipitis quindecim!

Antequam autem finem huic deductioni monetariæ imponamus, hoc unicum ſuper addere viſum eſt. Quod reductio monetalis difficillima & ferè impoſſibilis futura eſt. Extracto enim & evecto pedetentim omni argento merum cuprum nobis reliquum erit. Cupri verò reductio qualis admiſſibilis vel poſſibilis? Centum florenos reducere ad quindecim vel duodecim, quam in audita erit læſio? Relinquere vero eos in ſuo curſu & valore erit medium alliciendi omne Cuprum ex vicinis Regionibus, eritq; magnetis ingentiſſimi loco ex loquinquis etiam montibus & abſconditis hoc metallum in Poloniam, vi ſua lucrativa, attrahendi. Verum quidem eſt quod priori bello Suecico Guſtavus Adolphus Rex Sueciæ militibus ſuis, ſtipendia in in mera cuprea moneta exſolverit, cupro hoc ex propriis fodinis iſtius Regni proveniente, ſed hæc Cuprea moneta ejus erat bonitatis & ponderis, ut & Mercatores & Campſores in his Terris eam libentiſſime noſtra argentea moneta permutaverint. Noſtri verò Cuprei ſolidi, nec in pondere nec valore argenteæ correſpondere poſſunt, nec ab exteris unquam recipientur. Quilibet ergò ex præmiſſis omnibus, quaſi in ſpeculo in evitabile hoc damnum, & totius Reipub. præſentiſſimum interitum clare ac dilucidè perſpicere poteſt, & niſi cito huic morbo præſentiſſimis remediis ſubveniatur, neceſſario de ſalute & vita totius Regni actum erit. Utinam omnia jam deducta Spiritum hunc Cupreum diſſipent ex pectoribus Magnatum! Utinam aurum & argentum adhuc reliquum Regno conſervent, nervumq; rerum gerendarum in ſuâ bonitate & vera liga poſteritati relinquant & conſeruent! Hoc ex animo opto, & finio.